

Ericum ex altera super matrimonio inter magnificum principem dominum Lodowicum marchionem Brandenburgensem dicti domini Lodowici regis Romanorum primogenitum et domicellam Margaretam filiam nostram karissimam legitime contrahendo in modum qui sequitur exstat placitatum. (1) Videlicet ut inter predictos principes dominos Lodowicum regem Romanorum, Lodowicum marchionem Brandenburgensem filium suum et ipsorum liberos ac inter nos et liberos nostros concordia firma, amicitia rata et inviolabilis roboratur et stabilitur perpetuis temporibus duratura, dicto domino Lodowico marchioni Brandenburgensi dictam filiam nostram Margaretam dare debemus in uxorem legitime et matrimonialiter copulandam cum duodecim milibus marcharum puri argenti in terminis subsequentibus, videlicet sex milibus marcharum puri argenti infra diem et annum post sollempnitatem nupciarum et carnalem ipsorum copulationem, tribus milibus marcharum puri argenti in fine secundi anni primo subsequentis, residuis vero tribus milibus marcharum puri argenti in fine tercii anni duobus primis annis immediate subsequentis per nos vel heredes nostros Lybek integraliter persolvendis^a; condicionibus talibus prehabitis, quod si dictum dominum Lodowicum marchionem Brandenburgensem sine prole cum dicta Margareta de hac vita decedere contigerit, dictus dominus Lodowicus Romanorum rex pater dicti domini Lodowici marchionis Brandenburgensis vel ipsorum heredes, utputa dicti domini Lodowici regis Romanorum et Lodowici marchionis Brandenburgensis filii eiusdem, viginti quatuor milia marcharum puri argenti dicte Margarete filie nostre restituere debent et totaliter assignare in terminis infrascriptis, scilicet duodecim milia marcharum puri argenti infra diem et annum post mortem dicti domini Lodowici marchionis Brandenburgensis, sex milia marcharum puri argenti in fine secundi anni primo anno proximo subsequentis, residua vero sex milia marcharum puri argenti in fine tercii anni primis duobus annis immediate subsequentis per sepedictum dominum Lodowicum regem Romanorum seu ipsorum heredes utique persolvenda. (2) Pro quibus quidem viginti quatuor milibus marcharum puri argenti prenotatis supradicte Margarete restituendis et assignandis totaliter predicti principes domini Lodowicus rex Romanorum et Lodowicus marchio Brandenburgensis eiusdem filius dicte Margarete certitudinem firmam et caucionem sufficientem cum terris.

a) 'persolvendos' Or.